



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Anglicvm A Dvnstano Archiepiscopo Cantvariae Adversvs
Clericos Conivgatos Celebratvm, In quo monachatus promouetur: comes
quidam praepotens ob incestas nuptias publicam agit poenitentiam. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

JOANNES C. ANGLICVM. OTTO I. IMPERATOR.
P. XIII. EDGARVS R. ANGLIAE. 175

CIRCA
ANNUM
CHRISTI
969.

CONCILIVM ANGLICVM

A DVNSTANO ARCHIEPISCOPO CANTVARIÆ
ADVERSVS CLERICOS CONIVGATOS CELEBRATVM,

In quo monachatus promouetur : comes quidam præpotens ob incestas nuptias publicam agit pœnitentiam. Referuntur obiter Edgari regis cum velata virgine violentus concubitus, & iniuncta ei pœnitentia septen-

nalis.

HVIVS Concilii occasionem præbuit dicta iam Edgari regis Horatio, & indulta pariter auctoritatis copia, de qua sic Hor-
vedenus : Anno 969. rex Anglorum pacificus Eadgarus sancto Dunstano Dorobernensis, & beato Osvaldo Vvi-
gornensis, & sancto Ethelvvaldo Vvintoniensis ecclesiæ episcopis, præcepit ut expulsis clericis, in maioribus mo-
nasteriis per Merciam constructis monachos colloca-
rent. Vnde sanctus Osvaldus sui voti compos effectus,
clericos Vvintoniensis ecclesiæ monachalem habitum sus-
cipere renuentes de monasterio expulit ; consentientes
vero huic ipse antistes monachizauit, eisque Vvilsinum
magnaæ religionis virum loco decani præfecit.

Annal. par-
te i. p. 426.
Et Matth.
Vvelt. in
hoc anno
669.

De ipso autem Concilio sic Osbernus præcentor Cantuariensis, surius item qui floruit anno Domini 1074. & hunc secutus Ioannes Cap-
grauus. Per idem tempus (intellige sub quinquennio annum 974.
præcedenti) auctoritate Ioannis papæ Dunstanus archiepi-
scopus, coacto generali Concilio, statuit, & decreto fir-
mavit, ut canonici omnes, presbyteri, diaconi, subdiaco-
ni, aut caste viuerent, aut ecclesias quas tenebant dimitte-
rent. Habebat autem regem Edgarum in hoc negotio fide-
lem adiutorem & firmum defensorem. Huius enim decreti
executio Osvaldo Vvigornensi, & Ethelvvaldo Vvinto-
nensi episcopis commissa est. B. ergo Osvaldus septem
monasteria in sua dioecesi, eieictis clericis insolenter vi-
uentibus, construxit, & monachos introduxit, & abbates
eis præfecit, &c. Addit præterea post aliquot Osbernus : In aliis
etiam Angliæ locis insignes ecclesias B. Osvaldus ob eam-
dem causam, eieictis clericis, monasticae institutionis viris
tradidit, puta ecclesiam sancti Albani, sanctæ Æthelredæ

virginis in Eli, & eam quæ apud Beamfledam honorabilis habebatur. In ecclesia sancti Albani Elfricum abatem in ecclesia Eliensi Brithnotum, in Beamfledensi Gotmannum. Quæ vero monasteria constituit, ea inuisere solebat, & tum sermone, tum opere, ea quæ ad animarum salutem pertinerent illis paterno affectu ministrare. Porro in monasterio Ramesciæ Abbo Floriacensem monachum degere voluit, morum sanctitate præclarum, & literis egregie eruditum, vt monachos doceret, scholis præcesset, & tum regularem sive monasticam disciplinam, tum literarum scientiam promoueret. Is Abbo Dunstani hortatu beati Edmundi regis & martyris passionem accurate conscripsit. Tandem Floriacū reuersus, & abbas effetus, a suis monachis occisus est. *Hæc in actis sancti Osvaldi habentur, iuxta Baronium, qui ad historiam Edgari regis claustralem virginem vi comprimentis iam deflectens, semet ad præmissa demum recipit, & ex Osberno (quem Osbertum vocat) ita pergit:*

Præsidebat ea tempestate Vventanæ ecclesiæ Ethelvvoldus vir eximiæ sanctitatis, & educatione patris Dunstani non parum insignis. Hic cognita de canonicis ecclesiæ suæ, quod nimium sacerdtales existebant, voluntate Dunstani, monuit eos semel & sèpius mores & aëtus mutare, correctionis vita semitas relictis feminis arripere. At impræsentiarum quidem id sibi possibile esse negantes, voce coruina semper in crastinum correctionem sui pollicebantur. Quod ipse gnarus non diu sustinuit: paratis namque quamplurimis monachorum cucullis, die quo communio, Seruite Domino in timore, cantabatur, chorum intrauit, vestes quas parauerat secum deferri faciens. Et proiectis illis in medium, canonicis ait:

Animaduertistis quid modo cantaueritis? Animaduertimus, inquiūt. Igitur, inquit, si seruire Domino in timore, & ei vultis exultare cum tremore, apprehendite disciplinam, vestem scilicet monachalem, ne pereatis, sicut catastis, de via iusta. Ad quod illi obstupefacti, more solito inducias petunt: id se facturos in futuro promittunt. Tunc ille: Mihi credite, amplius non credam huic vestræ responsioni coruinae. Sed aut disciplinam in præsenti apprehendetis, aut loci istius beneficiis & conuersationi hinc eliminati, iamiam cedetis. Itaque nonnulli ex illis statim, abiecto

S. Ethel-
vvoldus
corrector
incontinenti-
tum clericorum.

Clerici in
monachos
conuersti.

CIRCA
ANNUM
CHRISTI
969. iecto clericali habitu, monachi facti sunt, ceteris verbo pontificis de ecclesia eliminatis. Ceterum quia isti qui nouiter fuere conuersi regularis disciplinæ normam sine aliorum magisterio docte seruare nequibant, monachi de Abendonia illuc ab eodem pontifice adducti sunt, qui monasticæ institutionis tramitem ibi docerent. ^{† Quæ autem post hæc secuta sunt de duobus Conciliis eadem de causa celebratis,} <sup>† Verba Ba-
ronii.</sup> *Vintoniense & Calense, inferius suis locis opportune dicetur.*

Ad idem Concilium generale (ita ab eis nominatum, quod omnes Angliae episcopi in idem conuenissent) spectat quod de publica comitis incestuosi pœnitentia ibi facta idem Osbertus scribit his verbis:

Comes quidam præpotens cognatam suam illico sibi matrimonio copulauerat, & a Dunstano semel, secundo & tertio redargutus, incestum suum diuortio expiare nobilitabat. Quapropter gladio Spiritus sancti a viro Dei percussus, a liminibus est sanctæ ecclesiæ separatus. Qui typho tandem superbia, regem adit, Dunstanum impia & immoderata seueritatis accusat, regia sanctione se ab eius tyrannie liberum constitui querula voce precatur & obsecrat. Cuius verbis rex acquiescens, Dunstano mandat ut hominem cum ea quam duxerat in pace manere sinat, & a quibus ipsum suspenderat liminibus sacris restituat. Miratur ille ad audita, & dolet religiosum regem per mendacem hominis linguam ante rei inquisitionem & examinationem esse seductum. Ponit tamen hominem ad rationem, & tam pro commissio crimine, quam & propter iniustam sui criminationem apud principem terræ factam paulo durius increpat, cupiens eo modo ad pœnitentiam & correctionem cor illius emollire. At ubi vidit ipsum non solum verbis suis non consentire, sed insuper contumaci spiritu contra se furere minarique, supra id quod ab ingressu domus Dei suspenderat, ut dixi, omnem ei communionem fidelium, donec a sua prauitate discederet, interdixit. Tunc ille seipso deterior effectus, immanni est furore corruptus, & nihil eorum quæ possidebat alicuius esse momenti reputans, ad hoc solum se totum studebat impendere, ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis iugum, quo a sua libidine coercebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat, & talibus assueta quorumdam

Concil. Tom. 25.

Z

Quare Co-
cilia An-
glicana di-
cuntur ge-
neralia.

De comite
incestuoso.
Osbertus
in Dunsta-
no cap. 31.
apud Sur.
die 19. Maii
tom. 3.

Romanorum corda & ora in suam causam largo munere
largiori sponsione permutat. Quid inde? præful apostoli-
cæ sedis Dunstano, peccatori homini condescendere,
verbis ac literis mandat, & eum ecclesiæ gremio integre
conciliare monet, hortatur, imperat. <sup>CIRCA
ANNVM
CHRISTI
969.</sup> *† Sed si pœnitens
peccatum relinquet, voluit mandatum intelligi; nec enim ali-
ter potuit intellexisse. Pergit enim:*

^{† Verba Ba-}
^{ronii.}
Comes in-
cessuosus
in Concilio
publice per-
nitet.

Ad quæ Dunstanus ita respondet: Evidem cum illum,
de quo agitur, sui delicti pœnitudinem gerere videro, præ-
ceptis domini papæ libens parebo. Sed ut ipse in peccato
suo iaceat, & immunis ab ecclesiastica disciplina nobis in-
sultet, & exinde gaudeat, nolit Deus: auertat etiam Deus
a me, vt ego causa alicuius mortalis hominis, vel pro red-
emptione capit is mei, postponam legem quam seruan-
dam statuit in sua ecclesia idem Dominus meus Iesus Chri-
stus Filius Dei. Hæc ille relata sibi audiens, & Dunstanum
ex his quæ certo diceret inflexiblem esse certissime sciens,
& excommunicationis suæ pœna, cum pudore hominum
constrictus, tum timore periculorum quæ talibus non-
nunquam accidere solent perterritus, obstinationem suæ
mentis depositus, & abdicato illico coniugio pœnitentia
sibi cultum imposuit. Dunstano itaque generale totius re-
gni Concilium de obseruantia Christianitatis celebrante,
ipse suimet oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis cor-
pus amictus, virgas manu ferens, Concilio sese medium in-
gressit, & ante pedes Dunstani gemebundus & eiulans cor-
ruit. Quo viso moti sunt omnes qui aderant ad pietatem;
& ipse pater omnium maiori præ ceteris pietate motus est.
In vultu tamen seruato disciplinæ rigore, vtpote hominem
Deo conciliare desiderans, lacrymas eius ad horam seuerus
sustinuit; ac demum a toto Concilio postulatus, lacrymans
& ipse culpam indulxit. Ita ab excommunicationis vinculo
absolutum, communioni fidelium, gaudentibus cunctis,
eum restituit. *Hucusque Baronius.*

Sequitur prælibata narratio de Edgardo rege claustralem
virginem comprimente, & de iniuncta illi
septennali pœnitentia.

PERPETRATVM est Edgari hoc scelus pluribus annis ante
istud Concilium, & iniuncta tum etiam hæc pœnitentia, in

CIRCA
ANVM
CHRISTI
969. *qua in coniugatos dericos rex grauissime excitatur. Anteriori
igitur loco erant ista tribuenda, sed cum huic ab auctoribus re-
ferantur, nos sic utique collocamus, Osbertum e Baronio reci-
tantes.*

<sup>*al. Mul-
fimic</sup> Quadam enim vice rex Edgarus in monasterium virgi-
num quod * Vviltonia situm est venit. Ibique captus spe-
cie cuiusdam puellæ, quæ de nobilibus Anglorum nata in-
ter non velatas nutriebatur & custodiebatur. Eam in suum
colloquium adduci secretius iussit. Illa cum duceretur, ti-
mens pudoris suo, raptum ab vna sanctimonialium capiti
suo velum imposuit, eo modo se protegi sperans, si forte
rex quid inhonesti a se exigere vellet. Quam ipse velatam
intuens: Quam subito, inquit, sanctimonialis effecta es? ar-
reptumque velum detraxit capiti eius, illa conatu quo po-
terat frustra obnidente: abusus siquidem ipsa est, & graui
scandalo quoque per Angliam religiosi ex hoc mente vul-
nerati sunt. Quod scandalum eo vehementius fuit, quod
rex idem legitimam vxorem habebat, Elfledam videlicet
cognomine Candidam, Ordineri præpotentis orientalium
Anglorum ducis filiam, de qua & sanctum Edvardum
genuerat.

Apud Sur.
die 19. Maii
tom. 3, cap.
38.

Vbi vero res Dunstano innotuit, acerbo mœrore per-
cussus est. Igitur cum in re non segnis ad regem veniret, &
ille venienti pro more occurreret, eumque per manum
ad solium suum perducere vellet, manum Dunstanus tur-
bato yultu retraxit, nec eam ab homine contingi passus
est. Ad quod ille attonitus (non enim illum scire putabat
quod clanculum a se factum existimabat) cur manum sibi
non dimitteret inquisiuit. Ait: Tu, postposito omni pu-
dore, adulterium commisisti: tu, despecto Deo, & signum
castitatis non veritus, virginis suam integritatem præripui-
sti: & cur manum summo Patri Virginis Filium immo-
lanti impuris manibus non tradam, quæris? Lauaprius per
poenitentiam manus tuas a sordibus suis, & tunc demum,
quo gratia Dei concilieris, honora & amplectere manum
pontificis. Territus ille ad hæc, terræ procumbit, pedes
antistitis petit; se peccasse gemitu verba interrumpen-
te contestatus. Quod Dunstanus videns tantum in re-
ge humilitatis exemplum, vehementer complectitur. Ve-
locius ergo illum erexit, & pacato yultu cum eo familia-

Rex pœni-
tens lisci-
pitur a Dū-
stano.

Concil. Tom. 25.

Z ij

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
969.

riter quæ salutem animæ eius operarentur loquens, se-
ptennem ei pœnitentiam iniunxit. At ille pontificali absolu-
tione potitus, omni studio iniunctæ sibi pœnitentia ope-
ram dare, & multa quibus Deum placaret pietatis opera
ipſi pœnitentia instinctu & confilio patris sui solicitus cœ-
pit reddere.

Ipſe præterea omni ordini hominum in suo regno con-
ſistentium legibus ſibi in Christiana religione ſancitis vti
præcipiebat: ipſe ſecus agentes indicta vindicta corripie-
bat: ipſe in prauitate persistentes condigno examine pu-
niebat. Exempli cauſa, ordo clericalis plurimum ea tem-
peſtate erat corruptus, & canonici cum presbyteris ple-
biūm voluptatibus carnis plus æquo inferviebant. Quod
malum Dunstanus corrigere cupiens, auctoritate Ioannis
apostolicæ ſedis antiftis apud regem obtinuit, quatenus
canonici qui caste viuere nollent ecclesiis quas tenebant
depellerentur, & monachi loco eorum intrōmitterentur.

*Hæc ex Osberto & Surio Baronius, de quibus etiam videndus
Capgranius in vitiis sanctorum Dunstani, Osvaldi, & Ethel-
woldi: & audi quid idem Capgranius refert de pœnitentia iſta
regi imposta:*

Denique cum magnitudinem peccati exposuiffet Dun-
stanus, & paratum illum regem ad omnem ſatisfactionem
reddidifset, septennem ei pœnitentiam indixit, vt in toto
hoc ſpatio coronam regni non gemitaret: ieiumum in heb-
domada biduanum transigeret: theſauros ſuos pauperibus
large diſpergeret. Super hæc ſacrandis Deo virginibus mo-
naſterium Septoniæ fundaret, quatenus qui vnam per pec-
catum Deo virginem abſtuliffet, plures & per plura ſæcu-
li volumina aggregaret. Clericos etiam malæ actionis de
ecclesiis propelleret, monachorum agmina introduceret,
iuftas Deoque acceptas leges ſanciret, & per omnes fines
regni populis custodiendas mandaret. Nihil enim erat
quod minus aut ſegnius rex impleret, quam quod a reſto
re vita præceptum fuiffet. Elapoſo tandem ſeptennalis
pœnitentia termino, congregatis omnibus Anglia principibus,
episcopis & abbatibus, imposuit regi coronam co-
ram omni multitudine populi Anglorum, cunctis laetan-
tibus, & Deum in sancto Dunftano laudantibus, &c.

Correctio
incontinenti-
tum clericorum.

Forma pœ-
nitentia
Edgardo re-
gi iniuncta.

IRCA
INV.
RISTI
69.

JOANNES C. LONDONIENSE. OTTO I. IMPERATOR. 181
P. XIII. EDGARVS R. ANGLIAE.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
969.

NOTA SEVERINI BINII.

^a *Concilium.*] Hæc Synodus celebrata est in Anglia a sancto Dunstano Cantuariensi archiepiscopo auctoritate Ioannis Romani pontificis; de quo in actis sancti Osvaldi episcopi Vvigniensis apud Surium 15. Octobris ista habentur: *Peridem tempus auctoritate Ioannis pape Dunstanus archiepiscopus, coacto generali Concilio, statuit & decreto firmauit, ut canonici omnes, presbyteri, diaconi, subdiaconi aut casti viuerent, aut ecclesiæ quas tenebant dimitterent.* Generale Concilium nominatur, quia in eo omnes Angliæ episcopi conuenissent. In eodem hoc Concilio comitem quemdam præpotentem ob incestuosas nuptias publicam egisse pœnitentiam refert Osbertus apud Suriū in Dunstano decimonono Maii.

Cur gene-
rale Conci-
lium appel-
letur.

ANNO
CHRISTI
970.

CONCILIVM LONDONIENSE,

HABIT VM SVB EDGARO REGE ANNO
regni sui XII. hoc est Domini nostri DCCCCLXX. vel
DCCCCLXXI.

In quo celeberrima priuilegia ab Edgardo rege Glastoniensi cœnobio concessa confirmantur, reseruata autem regi & heredibus suis conferendi baculum pastoralem fratri electo potestate.

Malm. de
gelt. reg.
l. 2. c. 8.

GLORIOSÆ recordationis Edgarus Anglorum rex, filius Edmundi regis, cuius studium diuinis cultibus potissimum inuigilabat, ad monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ in Glastingabiri frequenter adueniens, & eundem locum clariori præ ceteris dignitate excolere summo elaborans studio, plura admodumque magnifica priuilegia contulit communis episcoporum, abbatum, primorumque confilio.

Quorum primum, vt nullus nisi eiusdem loci monachus ibidem fungatur abbatis nomine vel officio; nec aliis nisi quem secundum tenorem regulæ concorditer elegerit parilis Conuentus assensio. Quod si alterius loci abbatem vel monachum eidem loco præfici necessitas ingruerit, non alium assumi censuit, nisi quem congregatio ipsius monasterii secundum timorem Dei sibi præesse elegerit: tamen ne hoc fiat obseruato omnimodo, si ibidem quispiam vel extremus congregationis illi officio aptus reperiri potuerit. Monachis siquidem electionem sui

Vt nullus
nisi mona-
chus sit ab-
bas Glasten.

Monachi
abbatem e-